DE NECESSARIO

SCIENTIARUM OMNIUM FŒDERE

ORATIO

QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM ACADEMIÆ BARCINONENSIS INAUGURATIONE PROTULIT

AUGUSTINUS YAÑEZ et GIRONA,

Pharmaciæ Doctor, atque in eadem Academia Physices experimentalis professor.

Kal. Novemb. MDCCCXLII.



Barcinone—Typis Antonii Bergnes et Sociorum.

1842.

El 1º. de noviembre, á las 11 y media de su mañana, estaba la espaciosa iglesia de S. Felipe Neri, que es el local donde celebra sus actos públicos la Universidad, llena de estudiantes y de personas distinguidas de ambos sexos, notándose en los sillones de preferencia el M. I. Sr. Jefe político de la provincia, el M. I. Sr. Rejente de la Audiencia, el Sr. Fiscal de la misma, con otros varios majistrados y personas autorizadas de la capital. A la hora prefijada entró procesionalmente el Claustro jeneral de doctores de las varias facultades, precedido de una banda de música, y presidido por

el M. I. Sr. Rector, Dr. D. Domingo Maria Vila, catedrático jubilado de esta Universidad, etc. Tomó asiento el Claustro, y previo un rato de descanso, durante el cual tocó la música una escojida sinfonía, el catedrático de física esperimental Dr. D. Agustin Yañez, obtenida la venia del M. I. Sr. Rector, presidente, subió á la tribuna y pronunció la oracion que sigue:

Excogitanti mihi atque in animum multis abhinc diebus volventi, quomodo in hac solemni studiorum inauguratione vobis gratus, A. P., discipulis fructuosus, amplissimo demum auditorum concursui acceptabilis esse possem; nulla alia mihi præstantior visa fuit ratio, quam de necessario ac mutuo scientiarum omnium inter se connubio agere, deque nonnullis causis earundem progressui noxiis sedula diligentia removendis aliquid animadvertere. Novi mehercle, satisque compertum habeo, selecti thematis dilucidationem meis viribus longè imparem; zelus verò, quo erga disciplinas omnes vehementer afficior, intimum perexiguæ ingenii copiæ sensum superavit. Novi etiam me primùm adspectabili huic doctorum cœtui publicè alloquentem, nihil absdubiò eisdem, quod obsoletum non habeant, exhibendum, ideòque eorum sententiam adversam potiùs quam

jucundam à me considerandam. Novi demùm clarissimos auditores, qui quotannis solemnitati huic desideranter conveniunt, de priscis et commendabilibus quidem, qui amplissimum hunc occuparunt locum, oratoribus fidelem servare recordationem. Has attamen considerationes, quæ audaciori cuilibet viro timorem inferre animumque frangere debuerant, alia profectò multum mihi præstare videtur, quod nimirùm maxima semper tolerantia sapientiam comitetur; unde tum perillustribus auditoribus, tum Academicis Patribus à quibus aliunde munus hoc obeundum assumpsi, tum perillustri mihi perquam dilecto et venerato domino Rectori, à quo innumera benevolentiæ testimonia accepi et accepisse ultrò confiteor, omnem illam qua opus mihi sit benignitatem confido adfuturam. Accedit postremò Academiæ hujusce discipulos non parvam haurire posse utilitatem, si mutua et reciproca scientiarum dignoscentes vincula, pari eas æstimatione prosequantur, pari quoque protectione dignas existiment. En ergo quibus suffultus præsidiis, et maximi proculdubiò momenti, sublimiorem hanc ascendere ausus cathedram, de relato antea puncto orationem nec doctrinæ copia fulgentem, nec perpolito sermone exornatam instituendam aggredior.

Humana mens, corpori quamvis unita, atque ab ejusdem sensibus suas omnes hauriens operationes, angustis adeò limitibus nequaquam restringitur; sic immensa ferè velocitate, quæ ipsammet lucis celeritatem admodum vincit, omnia peragrare, inquirere, cognoscere exoptat. Nunc maxima corpora, quæ sua circum centra ordinato agitantur motu, considerat,

eorumque revolutiones, moles, distantias, attractiones mathematico subjicit calculo ; nunc innumera planetaria systemata in spatio pendentia miratur ; nunc globi terraquei superficiem visceraque perlustrans, entia inorganica et organizatione donata, tam vegetantia quam sensibilia, propium etiam corpus, omniumque compositionem, attributa, proprietates scrutatur. En scientiarum naturalium origo, quam ab ipsomet humani generis exordio repetendam esse patet.

Mens aliunde in semetipsam reversa, adeo necessarium quam incognitum cum corpore deprehendens nexum, ab structura hujus cognita organorumque inquisitis functionibus, idearum contemplatur productionem, atque ad cæteras intellectus explanandas operationes sensim gradatimque pervenit; sic innumeras earundem relationes et combinationes, diversas tum pravas tum rectas affectiones, intimos etiam animi sinus permeat; sic diversa erga Deum, semetipsum, alios homines et naturam quoque adimplenda officia clarissimè patefacit; sic naturalem atque indissolubilem hominum societatem, mutua inter omnes singulosque vincula, principis subditorumque munera, omnium uno verbo et jura et debita perquirit. En moralium scientiarum origo, quam ab ipso humani generis exordio repetendam omnibus arridet.

His autem integrè perlustratis, in nulla re humana mens persolutam assequi valet satisfactionem; incomprehensibile namque intra se experitur vacuum, nihilque in tot objectis, quo illud adimplere possit, adinvenit; vastissimi universi limites illi non suffi-

ciunt; indefinitos spatii terminos audacter transgreditur; et in solo Supremi Entis sinu, à quo procedit et ad quod ineluctabili trahitur desiderio, quiete et solatio et felicitate potitur. Sic ab uno eodemque exordiens principio, utraque via, nunc ratione atque auctoritate innixa, nunc observatione et experientia ducta, ad idem quomodocumque pervenit centrum, ni à recto deflexa fuerit tramite, quo in casu ignorantia, confusione atque infortunio corripitur.

His autem positis et inconcussis quidem, ¿undenam morales inter atque naturales disciplinas exorta pugna? Quis inter sorores intimo conjungendas fœdere inimicitias posuit? An quia diversis, nullo tamen modo contrariis utuntur mediis, tamquam adversæ ad invicem considerandæ? Numquid ratio et auctoritas observationem atque experientiam suæ ditioni subjicere, aut experientia et observatio auctoritatem rationemque delere poterunt? Unde ergo quædam veluti malevolentia seu antipathia inter aliquos earundem professores? An ab animi elatione, vel ab invidia, vel à libidine, vel à pravis aliis animi affectionibus? Certum planè est, eos qui scientiis operam contendunt, homines quoque esse, et improbis quandoque rapui proclivitatibus, unde quæ leviter attigi incommoda repetenda; quæ autem mala luctuosis historiæ paginis de hac re nobis constant pro exemplo habenda tantum, causasque à radice evellendas oportet.

Et meherclè, si prisca historiæ evolvimus testimonia, græcos philosophos utrasque excoluisse disciplinas pro comperto habebimus. Astronomiæ et geographiæ non exiguas notiones circa planetarum sy-

derumque motus, solis quietem, ejusdem lunæque deliquia, terrestris globi divisionem in zonas, latitudinem et longitudinem inveniemus. Geologiæ admodum extensas doctrinas circa telluris originem et mutationes, diversorum stratorum causas, vulcanios montes, terræ motus, maris æstus, mythologica quinimò mysteria fidelem antiquarum globi perturbationum exhibere imaginem indubitanter videbimus. Quamplurimarum notitiam plantarum, distinctionem, medicas virtutes et usus; animalium plurium historiam, generationem, applicationes; medendi scientiæ omniumque ipsius partium cognitionem longè jam procedentem; cæterarum etiam disciplinarum quæ prædictis favent sat fulgentem statum videbimus. Mathesim, quæ naturales inter abstractasque scientias nexum quodammodò statuit, dialecticam, benedicendi artem, metaphysicam, politicam, juris notiones, majori minorivè excoli copia, eo ipso tempore videbimus. Hæc omnia græci philosophi ab ægyptiis præsertim deprompserant sacerdotibus, qui à chaldæis equidem, indis, sinisque fortassè excerperant. Jam verò primi sapientes omnem penitus doctrinarum amplectebantur extensionem, quousque majorem has amplitudinem assequutas à diversis profitendas viris expedivit; exindè nihilominus scientiarum naturalium statum moralium conditionem generaliter præivisse extra omnem dubitationis aleam positum conspiciemus.

Ab antiqua Græcia ad almam Urbem translatis litteris, tam Reipublicæ quam Imperii Romani tempore, eloquentia, juris notio, aliæque morales disciplinæ, pluries habitæ atque à primis excultæ viris lon

gè majores quam reliquæ obtinuere progressus. Septentrionalium Barbarorum incursu, post funestam Imperii divisionem, omnes ferè Europæ regiones ignorantia et confusione observantur correptæ, litteris ad Orientem reversis, ut in reconditis à nobis tractibus asylum præsidiumque assequerentur. Sed medii ævi sapientes græci subtilitatibus potiùs religiosisque disputationibus vacantes nil quasi de observatione et experientia curaverunt: quæque in eisdem fulciuntur disciplinæ in plus orientalibus quodammodo servatæ plagis, arabum interventione ad meridionales Iberiæ transvectæ regiones, in Cordubensi et Granatensi scholis non parum emicuere. Eodem fermè tempore, in celebrioribus christianæ Europæ Academiis, post obscurissimæ ignorantiæ sæcula successivè conditis dialectica, metaphysica, aliæque ejusmodi notiones diutiùs excultæ, Theologiæ, Jurisprudentiæ, quæ majores dictæ fuere disciplinæ, primatum sensim tribuerunt. Aristotelis doctrina de rebus abstractis ex toto corde amplexa et diversimodè amplificata videtur, dummodò oblivioni mandantur valdè æstimabiles ipsius de rebus naturalibus disquisitiones. Medendi scientia scholasticis involuta subtilitatibus, nullam quasi de certioribus Coi Oraculi fundamentis subit recordationem. Uno verbo, omnia rationi nimis elatæ vel auctoritati immodicè veneratæ tribuuntur, nihil verò observationi atque experientiæ in scholis designatur: disciplinæ in his innixæ veluti inferiores seu famulæ, quæ autem in illis fundatæ tamquam supremæ seu dominæ considerantur.

Jam autem, quæ in violentia atque injustitia hominum insistunt sententiæ diuturnam non habent

durationem. Post pulveris pyrii, acus nauticæ et typographiæ inventionem, post restaurationem litterarum, Bonæ Spei promontorio circumacto, novo Orbe detecto, vastissimis antea incognitis peragratis regionibus, humana mens ad observationem atque experientiam suam pedetentim contulit sollicitudinem; acutissimi ingenii viri naturæ scrutationi incubuere; et naturales scientiæ, non obstantibus impedimentis et vexationibus quæ ab ignorantia, superstitione vel quibusdam aliis hostibus interpositæ fuere, incomparabiles assequutæ sunt progressus. Sub finem sæculi proximè elapsi, apud Gallos aliasque gentes quæ ad eorum componebantur normam, prædictis disciplinis in summo positis, morales seu abstractæ contemptu quodammò aut saltem negligentia veluti noxiæ aut inutiles prosequebantur; hæc verò sententia adeò injusta humanoque generi infensa, quam quæ sæculo duodecimo et proximè sequentibus viguit adversa. Notum planè est homines, antequam medium veritatis arripiant iter, in utroque prius extremo consistere, ut erroris vanitatisque ex utraque parte cognitio salutaria iis præbeat consilia. Apud nos reverà primum tantummodo hucusque locum habuit extremum, et non pauci viri errores suos circa moralium scientiarum præeminentiam hactenus non deposuere. Si oppositum extremum vitare desideramus, ex aliarum nationum erroribus documentum suscipiendum est; naturales disciplinæ, verbis nedum, verò etiam factis, aliis pares statuendæ; nil integram adversus earundem evolutionem nec publicè nec clam machinandum; æquales utrarumque professoribus honores, præmia, retributionesque designandæ; nullam

inter majores et minores disciplinas, vel inter secundam et tertiam, ut hodiernè ajunt, institutionem discrimen; sed eadem et Principis et Supremorum comitiorum et hispanorum omnium utrisque tribuenda æstimatio. Alioquin seriùs aut ocyùs in aliud quod nonnulli sat pertimescunt eventurum deveniemus extremum. E contra, supradictis mediis naturales scientiæ condignum apud nos adipiscentur incrementum, ut rei agrariæ artibus omnibus et commercio faventes, Hispaniam ad cæterarum gentium extollant libellam, quin moralibus ullum penitùs occurrat incommodum, sed majori potiùs eæ fruantur perfectione, ut in Anglia et Germania præsertim evenit, et utræque intimo ad invicem connexœ fœdere, publicæ prosperitati undique prosint, quod certè ab Hispanis omnibus et vividè expetendum et totis viribus curandum.

Nunc verò, si ab origine atque termino, si ab utrarumque commodo, mutuum moralium et naturalium disciplinarum consortium necessarium deprehenditur, nec dificile etiam erit reciprocum aliarum in alias influxum alterutris valdè salutarem demonstrare. Et revera,¿ nonne mathesis, quæ scientia abstracta est, optima certè intellectualium operationum praxis, præcipuum est naturalium disciplinarum fundamentum? Numquid humanæ familiæ historia absque magnis geographiæ notionibus exactè unquam persolvenda? An chronologia, quæ non exiguum est historiæ adjumentum, astronomicis et geologicis doctrinis orbata potest consistere? Et chronologia et historia, poteruntne ultrò progredi, quin humanæ speciei varietatum rectis investigationibus circa ea-

rum originem, diversam structuram, diffusionem, mixtionemque, modificationesque subsequentes innitantur? Et legislationis scientia, undenam nisi ab eisdem quoque repetenda principiis? Nonne enim naturalis lex, primariis speciei humanæ necessitatibus respondens, ipsius etiam organizationi consentanea? Nonne positivæ leges, quamvis ab eadem exortæ, diversæ pro diversis speciei varietatibus esse debent, quatenus ex organizationis discrimine differentiæ etiam in animi proclivitatibus, adeoque et in actibus et in criminibus oriuntur? Nonne eisdem quoque conditionibus et gubernationis et administrationis norma futura est proportionalis? Qui autem hodiernis temporibus cuilibet nationi præponuntur, poteruntne, absque subditorum ruina, scientiarum naturalium oblivisci sollicitudinem? Hisque qui sacris disciplinis operam contendunt, eritne honestum prædictarum indigere doctrinis, quibus vera à falsis, naturalia phænomena à miraculis distinguere queant, eam vitantes confusionem erroresque, unde non parva religioni damna transactis sæculis exorta? Ubinam potiora aliundè eloquentiæ offerenda objecta, quam in naturæ contemplatione? Ubinam meliora repetenda exemplaria quæ architecturæ prosint aut sculpturæ, aut pingendi arti, cæterisque liberalibus quæ ad scientias propiùs accedunt? Quid natura pulchrius? quid elegantius? quid homini dignius? quid ad summam Entis sapientiam, bonitatem, potentiam, providentiam demùm detegendas mirandasque accomodatius? Si temporis non premerer augustiis, vel auditoribus minus eruditis sermonem facerem, quas tantummodò indicavi notiones, diuturna explicatione

demonstrarem, innumerasque alias inter disciplinas omnes correlationes exhiberem. Sufficiunt dicta, ut omnibus persuasum sit quantum ipsarummet litterarum progressui et dignitati intersit, et naturales et morales scientias æquales gradus ulteriùs obtinere, parique protectione amplecti.

Notum planè est, in Hispania magnam semper morales disciplinas, et justè quidem, habuisse æstimationem: quare autem eadem naturalibus non tribuitur? Qua de causa ipsarum professores aliis velut inferiores quodammodo considerantur? Cur in philosophicis institutis earum doctrina ea, qua opus est, extensione non traditur? Cur in nostratibus quibusdam Academiis nil ferè de mathesi, nil de experimentali physica, impudenti legum transgressione, auditoribus tribuitur? Qua de causa, nec chemiæ, nec mineralogiæ, geologiæ, botanices, zoologiæ, nec aliarum notionum cathedræ quibus anno 1822 nostræ ornabantur Academiæ, hactenùs non existunt? An Hispania nostra prædictis nunc jam non indiget notionibus, ut cum aliis gentibus comparari valeat? Quousque in tam luctuoso persistendum statu? Sperandum nobis est, A. P., punctum hoc à supremis regni Comitiis protinus in disquisitione positum videri, primumque magistratum, proximos ejusdem consiliarios, superioremque publicæ instructioni præpositum Senatum omnem rei huic operam, in quantum eis attingat, contendere; quo in casu, vestra quoque ad completam assequutionem minimè deficiet sollicitudo.

Si quæ etiam nunc exposita remanent, ad aliquo-

rum convincendum animum non sufficerent, operæ pretium erit aliam adhibere meditationem. Hostem habent litteræ omnes, quæcumque sint, infensissimum quidem valdeque potentem. Eas opus est omnes in unum pergere, distractisque controversiis conatus viresque ad propriam conservationem unanimiter intendere. Principium in nostris hodierna die statutum societatibus, divitiis, quomodocumque adquisitæ sint, honores, dignitates, politica jura, omnia demum tribuens, disciplinarum progressui et decori perquam noxium est, humanique generis instructioni et moralitati admodum exitiale, ni legibus moribusque assiduè provideatur, futuram bonorum adquisitionem solo labore, vel scientiæ virtutisque exercitatione adipisci, aut rigidum divitibus eorumque filiis ad sedulam instructionem munus sanciatur. Alioquin clarissimo qui gaudent ingenio aut scientiis operam non dabunt, aut easdem quolibet excolent modo nihil de earum bono progressuque curantes, dummodo pecuniam adquirant. Prætermittam quo pacto præfatum apud reliquas gentes principium applicationem subeat, cumque scientiarum commodo concilietur: confitebor etiam tum nonnullos hispanos dynastas, tum alios nummorum copia pollentes viros, litteris summa diligentia operam dedisse, sapientesque, etiam si divitiis non affluerent, magna prosequùtos æstimatione, de patria benemeritos fuisse. Neminem verò latere considero, pecuniæ adquisitionem illicitis quandoque mediis comparari, unde nil locupletes illi viri nec de bono nomine curavere, omnes siquidem opulentia tegendos defectus suos sperantes. Scimus etiam quamplurimos ab eges-

tate ad summam rei abundantiam perventos, hac de causa animo vehementer elatos, sese sapientes credere, ad omnia regenda negotia se idoneos dijudicare, modestosque viros scientiarum cultu perspicuos, sed non bene nummatos, contemnere. Nobis etiam constat, plerosque prædiorum copia pollentes maxima corripi ignorantia, cum exitialis mos apud ipsorum parentes invaluerit pinguium bonorum hæredes litterarum cultu neutiquam indigere. Quid ergo ab eis sperandum ? Quodnam solis divitiis publicum tribuendum decus et ornamentum ? Quomodo sacram auri famem, veluti terribilem undequaquam invàdentem alluviem omniaque minantem diruere, et detinere et avertere poterimus? Primò quidem et legibus et moribus eam śanciri oportet sententiam, viros omnes,quacuumque ratione cæteros opibus antecellant, eò majorem et de propriæ mentis cultura et de filiorum educatione habendos sollicitudinem ; bonorum copiam , labore et diligentia, scientiæ aut artis cujuscumque professione, virtutis semper exercitatione obtentam omni laude et ornamento dignissimam; á majoribus acceptam, nullam hæredibus per se solum adhibere commendationem ; dolo verò, violentia, vel qualibet alia prava ratione adquisitam, possessorem universali afficere despectu. Alioquin, actum est de scientiis, actum de humani generis moralitate. Huic vero perutili præstando officio, disciplinæ omnes et naturales et morales magnoperè concurrant, si priscis novisque oblitis inimicitiis, si omnibus á radice sublatis discriminibus, in unam solidamque coagmentatæ phalangem, impenetrabilem nedum infensissimo valdeque po-

tenti hosti offerant aggerem, sed formidabili hydræ capiti, toties nobis erecto viribus quoties conculcato, postremum inferant exitium.

En ergo , quomodo et ex ipsarum disciplinarum constitutione, et ex earumdem commodis dilucidatum sequitur ab eis omnibus atque ulla distinctione confœderationem iniendam debere. Multa alia de prædicta re exponerem libenter, ni amplissimo cœtui molestiam afferre pertimescerem. Unam tantum addere rationem admodum videtur consentaneum, antequam orationi sat prolixæ finem imponam. Si ad quædam hispana scientiarum instituta oculos convertimus, ea ab opulentium sed imperitorum hominum directione pendere, ægerrimè conspiciemus. Unde ignaris viris adeò turpis et injusta donata fuit tutela? *Tractent fabrilia fabri* prisca atque vulgatissima apud nos sententia: ¿quare in gravissimo de quo agitur negotio tam peregrina quam obnoxia exceptio deprehenditur? Fatendum est hanc gubernatorum dispositionem scientiarum cultui primò fuisse propitiam, quando nempe debitis illæ apud nos honoribus nondum potiebantur, ut quæ eisdem exteriùs deficiebat dignitatem magnatum divitumve interventione acciperent. Sic in scientiarum naturalium potiùs quam in moralium institutis etiam nunc contingit, nonnullis aliis supremorum magistratuum jussu rectè, scitè et jucundè emancipatis. Tempus jam est reliqua quæ sub eodem jacent discrimine, ab inoportuna ignorantium tutorum potestate liberari, et Academias omnes omniaque et singula scientiarum instituta virorum mandari curæ, qui in eadem disciplina diùtiús versati, cæteros doctrina et exemplo præire non inmeritò considerentur.

De necessario litterarum omnium fœdere sat egi, A. P.; sat de aliquibus causis sermonem protuli, disciplinarum progressui infestis fortique Principis manu removendis. Quæ statui principia, veritati apprimè consona, amaritudine fortassè et offensione ignaros homines prosequentur; sed circa hoc nulla in me culpa, cum nihil verum præter et justum in medium produxerim. Quæ ulteriùs addere possem, eruditis viris satis superque agnita, á sinceris facillimè dignoscenda, ab indoctis et inimicis quoque modo respuenda forent. Unam tantum magnique mihi momenti appetii, quam assequutus sum remunerationem, quod scilicet in benevolo vestrum omnium vultu, A. P., candidam erga minimum inter professores benevolentiam, integrumque prolatæ orationi assensum præstitum conspicio. Exinde igitur omnes in litterario incipienti anno, et in proximè remotèque sequentibus, nostros proculdubiò adhibebimus conatus, nedum ut scientiarum puriora auditoribus tradamus elementa; sed ut in eorum quoque animo cæteras erga disciplinas observantiam atque dilectionem indiscriminatim excolamus. Hocce modo, æstimabiles juvenes nostri, postquam ad majorem perventi ætatem publicis præficientur negotiis, intimum scientiarum fœdus roborare curabunt, quo duplex antea relatum absolvetur commodum, et corporis vel fortunæ dotibus virtus et scientia jure moribusque supererunt præstantes.

DIXI.